

- 180 *Idem lib. 17. ad Plautium.*
Quod jussu alterius solvitur, pro eo est, quasi ipsi solutum esset.
- 181 *Idem lib. 1. ad Vitellium.*
Si nemo subit hereditatem, omnis vis, testamenti solvitur.
- 182 *Idem lib. 3. ad Vitellium.*
Quod nullius esse potest, id ut alicui fieret, nulla obligatio valet efficere.
- 183 *Marcellus lib. 3. Digestorum.*
Etsi nihil facile mutandum est ex solemnibus, tamen ubi æquitas evidens poscit, subveniendum est.
- 184 *Celsus lib. 7. Digestorum.*
Vani timoris justa excusatio non est.
- 185 *Idem lib. 8. Digestorum.*
Impossibile nulla obligatio est.
- 186 *Idem lib. 12. Digestorum.*
Nihil peti potest ante id tempus, quo per rem naturam persolvi possit. Et cum solvendi tempus obligationi additur, nisi eo præterito, peti non potest.
- 187 *Idem lib. 16. Digestorum.*
Si quis prægnantem uxorem reliquit, non videtur sine liberis decessisse.
- 188 *Idem lib. 17. Digestorum.*
Ubi pugnantia inter se in testamento juberentur, neutrum ratum est.
§. 1. Quæ rerum natura prohibentur, nulla lege confirmata sunt.
Idem lib. 12. Digestorum.
Pupillus nec velle, nec nolle in ea ætate, nisi apposta tutoris auctoritate, creditur: nam quod animi iudicio fit, in eo tutoris auctoritas necessaria est.
- 189 *Idem lib. 24. Digestorum.*
Quod evincitur, in bonis non est.
- 190 *Idem lib. 33. Digestorum.*
Nervatius consultus, an quod beneficium dare se, quasi viventi, Cæsar rescripserat, jam defuncto de disse existimaretur? Respondit, non videri sibi, Principem, quod est; quem vivere existimabat, concessit, defuncto concessisse, quem tamen modum esse beneficii sui vellet, ipsis æstimationem esse.
- 191 *Marcellus lib. 29. Digestorum.*
Ea, quæ in partes dividi non possunt, solida à singulis hæredibus debentur.
§. 1. In re dubia benigniorem interpretationem sequi non minus justus est, quam tutius.
- 192 *Celsus lib. 38. Digestorum.*
Omnia fere jura hæredum perinde habentur, ac si continuo sub tempus mortis hæredes existisset.
- 193 *Modestinus lib. 6. differentiarum.*
Qui per successionem, quamvis longissimam, defuncto hæredes constiterunt, non minus hæredes intelliguntur, quam qui principaliter hæredes existunt.
Idem lib. 7. differentiarum.
Expressa nocent, non expressa non nocent.
- 194 *Idem lib. 7. Regularum.*
Privilegia quædam causæ sunt, quædam personæ: & ideo quædam ad hæredem transmittuntur, quæ causæ sunt: quæ personæ sunt, ad hæredem non transeunt.
- 195 *Idem lib. sing. de ritu nuptiarum.*
Semper in conjunctionibus non solum quid licet considerandum est, sed & quid honestum sit.

- 196 *Javolenus lib. 13. ex Cassio.*
Neque in Interdicto, neque in ceteris causis pupillo nocere oportet dolum tutoris, sive solvendo est, sive non est.
- 197 *Idem lib. 6. Epistolarum.*
Non potest dolo carere, qui imperio magistratus non paruit.
- 198 *Idem lib. 7. epistolarum.*
Quotiens nihil sine captione investigari potest, eligendum est, quod minimum habeat iniquitatis.
- 199 *Idem lib. 10. epistolarum.*
Omnia, quæ ex testamento proficiuntur, ita statum eventus capiunt, si initium quoque sine vitio ceperint.
- 200 *Idem lib. 11. epistolarum.*
Omnis definitio in jure civili periculosa est: parum est enim, ut non subverti possent.
- 201 *Pomponius lib. 8. ad Quint. Muc.*
Quod quis ex culpa ita damnum sentit, non intelligitur damnum sentire.
- 202 *Idem lib. 28. ad Quint. Muc.*
Minus est actionem habere, quam rem.
- 203 *Idem lib. 39. ad Quint. Muc.*
Plerumque fit, ut etiam ea, quæ nobis abire possint, proinde in eodem statu sint, atque si non essent ejus conditionis, ut abire possent; & ideo quod fisco obligamus, & vindicare interdum, & alienare, & servitutum (in) prædio imponere possumus.
- 204 *Idem lib. 9. ex variis sectionibus.*
Jure naturæ equum est, neminem cum alterius detrimento, & injuria fieri locupletorem.
- 205 *Ulpianus lib. 1. ad Leg. Jul. & Pap.*
Res Judicata pro veritate accipitur.
- 206 *Paulus lib. 3. ad Leg. Jul. & Pap.*
Non potest videri desisse habere, qui numquam habuit.
- 207 *Ulpianus lib. 4. ad Leg. Jul. & Pap.*
Servitutum mortalitas fere comparatur.
- 208 *Lucius Rufinus lib. 2. Regul.*
Quæ ab initio inutilis fuit institutio, ex post facto convalescere non potest.
- 209 *Paulus lib. 59. ad editum.*
Servus Reipublicæ causæ abesse non potest.
- 210 *Hoc in articulo satis est eos indicare, qui interpretati sunt tum regulas Juris canonici, tum regulas Juris civilis. Exponunt regulas Juris canonici inter alios Canisius, Peckius, Nidus, Reiffenstuel, Schorremberg. Optimæ vero sunt prælectiones Joannis Brunemanni in hæc Juris canonici Regulæ.*
Regulæ Juris civilis, ut antiquiores prætereamus, 88 commentariis illustrarunt Calvinus, Revardus, Petrus Faber, Bronchorst, Giphanius, Hoenius, Ludwellus, Wisembachius, Ganzelius, Mullerus, & qui ceteris est præferendus Jacobus Gothofredus.
Ad rectum vero usum regularum Juris ob oculos 89 semper habenda sunt verba illa Pauli in L. 1. ff. de regul. jur. Non ex regula jus sumatur, sed ex jure quod est, regula fiat; Tametsi enim maxime justæ regulæ sint, tamen eo usque sui valere momento debent, ut illico quarumlibet causarum, casuumque promiscue decisio exinde peti possit. Sed ea juris pars, materia, articulus, species, subjectum, sic ut dicam, genus tandem proprium liquido teneri debet, sic & ad suam juris speciem regula restringatur. Et si quando aptanda ea videatur ad propositam aliquam juris questionem, seu controversiam, illud attendatur, num omnes circumstan-

tantia qualitates in casu proposito concurrant, ad quem, & cuius causa regula semel confecta fuit. Et hoc est: Non esse jus sumendum ex regula, sed ex jure, quod est, regulam fieri.

Facilius vero est recte ad præcedens monitum uti regulis Juris civilis. Enam licet seorsim collocatæ sint in ultimo titulo libri ultimi Pandectarum; tamen desumptæ sunt ex variis Jurisconsultorum libris. Ope propterea conjunctionis Inscriptionum facile est invenire loca, unde sunt desumptæ, & sic nosse genus proprium ejusque regulæ, sine quo rectus ejus usus fieri nequit. Et hoc modo Jacobus Gothofredus in interpretatione harum regularum ceteros superavit. At regulæ Juris canonici non sunt desumptæ ex decretalibus Summorum Pontificum. Quocirca teneri nequit genus proprium ipsarum, quod tanti est momenti in recta applicatione regularum Juris.

RELIGIONES REGULARES, ET MILITARES.

ARTICULUS PRIMUS.

Quoad ea quæ concernunt Religiones in genere.

SUMMARIUM.

- 1 **R**ELIGIO unde dicta, ad num. 3.
- 2 Religio, seu status religiosus quid sit.
- 3 Religiosus, seu regularis quid sit.
- 4 Religiosus, & regularis idem significant, & solum differunt, quod Religiosus tenet à verbo Religio: Regularis vero à Regula.
- 5 Tria vota sunt de essentia religionis: scilicet, obedientiæ, & castitatis perpetuæ, sunt omnino de essentia religionis; adeo ut sine illis religio aliqua proprie dicta nullatenus consistere possit.
- 6 Tria dicta vota sunt de essentia religionis ex jure divinis: adeo ut nec Papa possit dispensare in sensu corporis, quod aliquis sit, & maneat proprie religiosus, & tamen non sit adstrictus tribus allegatis votis, quomodo ex aliqua gravi causa bonum commune concernente possit dispensando ex religio facere non religiosum, & ei concedere facultatem ad seculum redeundi, & subendi.
- 7 Afferitur ratio.
- 8 Status religiosus à Christo Domino sine institutus, eo invitante, & hortante, statim ab initio ecclesie fuit susceptus ab ipsis Apostolis, ac aliis Christi discipulis.
- 9 Dicta tria vota potius, quam alia fuerunt constituta pro essentia status religiosi: quia per ea homo perfectus se consecrat, & unit Deo.
- 10 Ante adventum Christi nulla fuit vera, & proprie dicta religio cum dâ. tribus essentialibus votis.
- 11 Quomodo in lege nature, & in lege scripta quadam religiosi status vestigia ac figura fuerint, tamen pro tunc nulla fuit vera, & proprie dicta religio cum professione dictorum trium essentialium votorum.
- 12 Verus, & perfectus status religiosus secundum essentiam cum tribus dictis votis fuit primo, & immediate institutus à Christo Domino.
- 13 Secundum autem peculiare, & certas vivendi regulas religionis essentia superaddita, fuerunt à variis præfatis, & Sanctis Fundatoribus variæ religiones institutæ, & ab Ecclesia approbatæ.
- 14 Quomodo dicta tria vota pro essentia status religiosi fuerint à Christo Domino instituta, tamen eorum solemnitas à sola Constitutione ecclesie fuit inventa.
- 15 Quomodo omnes religiones conveniant in substantia dictorum votorum, & in fine principali tendendæ mediis ipsis votis ad perfectionem, tamen differunt in accidentibus.
- 16 Hinc religio alia est contemplativa, alia activa, & alia mixta.
- 17 Contemplativa quæ sit.

- 20 Abiva quæ sit.
- 21 Mixta quæ sit.
- 22 Insuper religiones alia sunt clericales, alia monachales, alia mendicantes, & alia militares.
- 23 Religiones clericales quæ sint.
- 24 Religiones monachales quæ sint.
- 25 Religiones mendicantes quæ sint, ad n. 26.
- 26 Religiones militares quæ sint.
- 27 Professi in illis religionibus militaribus in quibus præter votum paupertatis & obedientiæ, etiam emittitur perfectum, & totale votum castitatis, sunt veri, & proprie dicti religiosi.
- 28 Professus autem in illis religionibus Militaribus, in quibus non emittuntur omnia dicta tria vota substantialia, quamvis sint, & dici possint religiosi cum addito Militares; Non sunt tamen, nec dici possunt absolute, & simpliciter, proprie, & rigore Religiosi.
- 29 Utilissimum semper fuit, & adhuc est ecclesia catholica, vigere in ea religiones.
- 30 Innocentius III. divinam habuit visionem, qua vidit Lateranensem Ecclesiam convulsis fundamentis ruine propinquam, & jam labentem Seraphici Sancti Patris mei Francisci suppositis humeris sustineri.
- 31 Hinc in coronatione Pape tertia collecta seu oratio canitur de S. P. N. Francisco.
- 32 Insuper utilissimum, ac summe expeditum est, quod plures & variæ institutæ sint, & vigent, & 33 nimia tamen, & excessiva multitudo, & varietas religionum, tamquam confusionis causativa, est vitanda.
- 34 Religiones in specie, quamvis plures sint, tamen fere omnes sub quatuor principalioribus regulis militantis, videlicet S. Basilii, S. Augustini, S. Benedicti, & S. P. N. Francisci, exceptis aliquibus infra assignandis.

RELIGIO, secundum D. Isidorum lib. 10. etymolog. c. 19. dicitur à relegendo, ibi: religio nominatur à relegendo, quod est verbum compositum ex præpositione re, & lego, legis, & significat semel, atque iterum legere ea, quæ sunt Domini cultus, quia religionis re legit, atque tractat, id est, iterum, atque iterum legit, & tractat ea, quæ ad divinum cultum spectant: quæ enim sunt Domini cultus, frequenter in corde sunt revolvenda, ut dicit D. Thom. 2. 2. quæst. 81. art. 2. juxta illud Prov. 2. In omnibus votis tuis cogita illum.

Sanctus autem Augustinus lib. 10. de civitate Dei, cap. 4. dicit, quod religio dicitur à relegendo, ibi: Religio ex hoc dicta: quod Deum re-legere debemus, quem amiseramus negligenter, & esse verbum compositum ex præpositione, re & eligo, eligi, quod significat iterum eligere, quod jam erat electum.

Lactantius Firmianus lib. 4. divin. instit. cap. 24. dicit, quod religio dicitur, & derivatur à relegendo, quod est verbum compositum ex præpositione re, & ligo, ligar, significatque iterum atque iterum ligare id, quod semel erat ligatum; Et tenet etiam D. Augustinus lib. de vera religione, tom. 1. cap. ultim. ubi post multa alia verba inquit: Religat nos uni Omnipotenti Deo vera religio; Et amplectitur etiam S. Thomas 2. 2. quæst. 82. art. 1. & in Opuscul. 19. cap. 1. in princip. ubi dicit: Nomen igitur religionis, ut Augustinus lib. de vera religione innuere videtur, à relegendo sumptum est.

Religio, seu status religiosus est fidelium ad christianæ charitatis perfectionem tendentium editis votis perpetuæ obedientiæ, paupertatis, & castitatis, stabilis in communi vivendi modus ab ecclesia approbatus; Est in re communis.

Religiosus autem seu regularis est persona, quæ memissis tribus votis substantialibus, in aliqua religione ab ecclesia approbata vivit; ibique abjectis hujus sæculi curis, & perfectionis impedimentis, propriaque abnegata voluntate, & carnis oblectamentis, ad id solum incumbit, ut ad perfectionem veniat, Deoque perfecte serviat. Sic in re communis. Unde religiosus, & regularis idem significant, & solum

lum differunt, quod *ly religiosus* venit à verbo *religio*, *regularis* vero à *regula*, nam quivis regularis profitetur.

¶ Castitatem atque paupertatem expressis quidem verbis non spondebat coevi Gregorio Magno Monachi, nec illas estas nostra expresse profitetur Benedictinus Ordo: sed nempe Canonici regulares, Carthusiani, Carmelites, & Predicatores ex prima institutione. Expressam utriusque mentionem fieri voluit S. Franciscus; utraque tamen monastice conditionis pars semper fuit, iisdemque legibus firmata erat Gregorii Magni aevi Monachismus, quibus nunc statat. Verba sunt Clarissimi Dionysii Samaritani Congregat. S. Mauri, Editoris Operum S. Gregorii Magni in not. ad Epist. 114. Lib. 9. Indict. 2. tom. 2. Operum col. 1021. ¶

7 Hinc tria dicta vota, paupertatis scilicet, obedientiae, & castitatis perpetuae, sunt omnino de essentia religionis; adeo ut sine illis religio aliqua proprie dicta nullatenus consistere possit. S. Thom. 2. 2. q. 186. art. 1. Miranda in *Manual. Praelat.* tom. 1. quest. 1. art. 4. Pellizzar. in *Manuali. Regul.* tom. 1. tract. 1. cap. 1. q. 2. & 3. & Donatus *praes. rerum Regul.* tom. 4. tract. 1. quest. 5. & communis, ac certa aliorum, arg. cap. ad Monasterium 6. de statu Monach. & Extravag. Joann. XXI. incip. *Quorundam* 1. de verb. significat. §. penult.

8 Tria dicta vota sunt de essentia Religionis ex Jure divino; adeo ut nec Papa possit dispensare in sensu composito, quod aliquis sit, & maneat proprie religiosus, & tamen non sit adstrictus tribus allegatis votis; quamvis ex aliqua gravissima causa bonum commune concernente possit dispensando ex religioso facere non religiosum, & ei concedere facultatem ad seculum redeundi, & nubendi. Miranda in *Manual. Praelat.* tom. 1. quest. 1. art. 5. conclus. 1. Donatus *loc. cit. quest. 12. & 13.* Reiffenstuel *lib. 3. Decretal. tit. 31. num. 12.* ubi testatur de communi per text. in *cap. cum ad Monasterium* 6. de statu Monach. in fine, ubi Innocentius Papa III. sic expresse dicit: *Abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis adeo est annexa regulae monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere, & Glossa ibidem verb.* Abdicatio: dicitur. *Papa non potest dispensare, ut Monachus habeat proprium existentem Monachus, sed de Monacho potest facere non Monachum;* Ex quo clare sequitur, quod dicta tria vota non solo Jure humano, sed divino requiruntur ad essentiam religionis, quia si solo Jure humano essent ad eam necessaria, Papa in iis sine dubio posset dispensare, cum ipsemet Innocentius Papa III. in *cap. Propositum* 4. de concessione possessionis de Jure postumus supra Jus dispensare. Vide *verb. Dispensatio, num. 19. & seq. verb. Impedimenta matrimonii, art. 3. à num. 1. ad 9.*

9 Et ratio est, quia status religiosus secundum suam substantiam, seu essentiam, non ab aliquo puro homine, sed immediate à Christo Domino fuit institutus: Christus enim ipse homines ad tria illa consilia evangelica est cohortatus, & ad vota perpetua de illis facienda, ut colligitur de paupertate ex *Matthaei* 19. ibi: *Vade, & vende quae habes, &c.* De castitate ex *Matthaei* 19. ibi: *Sunt eunuchi, qui se ipsos castraverunt propter regnum caelorum.* De obedientia, quae fit per abnegationem sui, & suae propriae voluntatis, ex *Matthaei* 16. ibi: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, &c.* adeoque dicitur esse de Jure divino, non praecipiente, sed consulente, ut docent communiter Doctores mox citandi.

10 Unde talis status religiosus à Christo Domino sic institutus, eo invitante, & hortante, statim ab initio ecclesiae fuit susceptus ab ipsis Apostolis, ac aliis Christi discipulis, qui emissis dictis tribus votis, veram vitam religiosam duxerunt, verique religiosi extiterunt, & desumitur clare ex *illo Matthaei* 19. ubi postquam Christus requisita ad statum religiosum Adolescenti proposuit dicens: *Si vis perfectus esse, vade, vende quae habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in caelo, & veni sequere me,* Petrus nomine omnium

Apostolorum indicavit, hunc statum se una cum omnibus aliis jam assumpsisse, dicendo: *Ecco nos reliquimus omnia, & sequi sumus te, vivendo in obedientia, sine proprio, & in castitate, reliquimus omnia, id est, bona temporalia, quod fit per voluntariam paupertatem, & uxorem, quod fit per castitatem, & secuti sumus te, per obedientiam.* Hinc in *Actib. Apostolorum cap. 4. num. 32.* expresse dicitur: *Multitudinis credentium erat cor unum, & anima una; nec quisquam eorum, quae possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia.* Ita docent S. Augustin. *Epist. 89. num. 4.* Sanctus Hieronymus in *lib. contra Jovinian. & in Apolog. ad Pamac.* S. Chrysost. *lib. 3. contra Monast. vita vitup.* S. Thom. 2. 2. quest. 88. art. 4. ad 3. Bellarm. tom. 2. *Controv. de Monachis tit. 2. cap. 2.* Joann. Gerson. *Alphab. 42. sermon. de Cava Domini,* Tambur. de *Jur. Abbat. tom. 1. disp. 2. quest. 8.* & 9. Hieronymus Platii de *bono status relig. lib. 2. cap. 2.* Miranda *loc. cit. quest. 3. art. 1. conclus. 1. & 2.* Donat. tom. 4. tract. 1. quest. 7. Suarez tom. 3. de *relig. lib. 3. cap. 2. num. 3.* Engel *lib. 3. Decretal. tit. 41. num. 24.* Pirhing *ibid. num. 18.* Reiffenstuel *ibid. num. 19.* & alii passim.

Dicta tria vota potius quam alia fuerunt constituta pro essentia status religiosi, quia per ea homo perfectus se consecrat, & uni Deo: cum enim homo tria principalia habeat, nempe animam, corpus, & bona temporalia, haec omnia per tria illa vota plene Deo consecrantur. Primum, scilicet Anima, per obedientiam, quae religionis voluntas se subjiciendo dispositioni Superioris, plene Deo consecratur; ita ut religiosus non habeat amplius velle, nec nolle, ut expresse dicitur in *cap. Si Religiosus* 27. de elect. in 6. cap. Religiosus 2. de testament. item in 6. cap. Religiosus 5. de sepult. item in 6. Secundum, scilicet corpus, plene consecratur Deo per castitatem, dum per eam omni voluptati carnali propter Deum renuntiatur. Tertium, scilicet bona temporalia, plene consecrantur Deo per paupertatem; Unde de his tribus votis ad propositum sic loquitur Joann. XXII. in Extravagant. incip. *Quorundam* 1. de verb. significat. §. penult. circa finem: ibi: *religio namque perimitur, si d. meritoria subditi obedientia subtrahantur; magna quidem paupertas, sed major integritas, horum est obedientia maximum, si custodiatur illa, nam prima rebus, secunda carni, tertia vero menti dominatur, & animo.*

Ante adventum Christi nulla fuit vera, & proprie dicta Religio cum dictis tribus essentialibus votis perpetuae paupertatis, castitatis, & obedientiae. Communis. Quamvis enim in ipsa lege naturae ante diluivium quaedam Religiosi status vestigia, ac figurae fuerint, ut patet ex *illo Genesis* 1. in fine, ubi de Enos dicitur: *Iste cepit invocare nomen Domini.* Quod Expositores communiter intelligunt de speciali ritu colendi Deum, cum ante ipsum jam Adam, & justus Abel Deum invocaverint; Et in lege veteri scripta status Religiosus fuerit figuratus in Nazarae, de quibus fit mentio *Numerorum cap. 6.* & in grege illo, seu cuneo Prophetarum psallentium Deo, de quibus 1. *Regum cap. 10.* Unde S. Hieronymus *Epist. 4. ad Rusticum* ait: *Filii Prophetarum, quos Monachos in veteri testamento legitimus, adificabant sibi casulas prope fluvia Jordanis, & turbis Urbium derelictis, potentia, & herbis aggressibus victabant.* Et in *Elia, & Eliseo, de quibus 1. Reg. cap. 17. 3. Reg. cap. 19.* & 4. Reg. cap. 1. & in *Samaele* tamquam eorum Principe, de quo Genobardus in *chronologia, & ex ipso Tamburinus de Jur. Abbat. tom. 1. disp. 2. quest. 1. dicit: Nota quod Samuel primo instituerit conventus Religiosorum jugiter psallentium.* Tamen pro tunc nulla fuit vera & proprie dicta Religio cum perfectione dictorum trium essentialium votorum, perpetuae paupertatis, castitatis, & obedientiae, ut tradunt communiter Doctores, quia ut dicit Apostolus ad *Hebraeos* 7. num. 19. *Nihil ad perfectum adduxit lex, & ad Galatas* 4. num. 3. dicit, quod tempus veteris legis fuit tempus infantiae, ibi: *Ira & nos cum essemus parvuli, sub elementis mundi eramus servientes; At ubi venit plenitudo temporis misit Deus Filium suum.*

Hinc

14 Hinc recte concludunt communiter Doctores, quod verus, & perfectus status religiosus secundum essentiam cum tribus dictis votis fuit primo, & immediate institutus à Christo Domino, eo invitante, & hortante, statim ab initio ecclesiae ab ipsis Apostolis, & aliis Christi discipulis fuit susceptus, ut patet ex dictis supra num. 9. & 10. Secundum autem peculiariter, & certas vivendi regulas religionis substantiae, seu essentiae superadditas (post jam institutam à Christo Domino religionis, sive religiosi status substantiam) fuerunt à perfectis & sanctis Fundatoribus variae religiones institutae, & ab ecclesia approbatæ, ita ut quælibet earum suam specialem habeat Fundatorem, seu Institutorem: Quamvis enim Christus religionem, seu statum religiosum instituerit secundum substantiam; tamen accidentaliter ejusdem reliquit ecclesiae determinanda; sicuti quamvis Christus ipse instituerit sacramenta quoad substantiam, tamen accidentaliter eorum reliquit ecclesiae determinanda. Sic

15 16 *communis Doctorem.* Sicut etiam quamvis dicta tria vota pro substantia, seu essentia Religionis, seu status fuerint à Christo Domino instituta, ut patet ex antea dictis; tamen eorum solemnitas à sola constitutione ecclesiae fuit inventa, textu expresso in *cap. Quod votum unic. de voto, & voti redempti. in 6. ibi: Nos igitur attendentes, quod voti solemnitas ex sola constitutione ecclesiae est inventa, & expresse declaravit Gregorius XIII. const. incip. Ascendente Domino: statuendo quod Religiosi præclarissimæ Societatis Jesu, qui peracto novitatu primam professionem emittunt, pro veris habeantur Religiosi, non obstante quod non nisi simpliciter tunc edant vota, & non solemniter emittant, ibi: *Nos considerantes, voti solemnitatem sola constitutione ecclesiae inventam esse, triaque hujusmodi Societatis vota, tametsi simpliciter, ut substantialia religionis vota ab hæc Sede fuisse admessa, illaque emittentes in statu religionis vere constitui &c.* ex quo clare constat, quod votorum solemnitas non fuerit instituta à Christo, sed à sola ecclesia, & sic quod ipsa ecclesia possit admittere, & approbare ut veram religionem etiam sine votis solemnibus, & cum solis simplicibus; Pirhing *lib. 3. Decret. tit. 31. n. 10.* & seq. Reiffenstuel *ibid. num. 14.* Suarez tom. 3. de *relig. lib. 3. cap. 14. num. 9.* Donat. tom. 4. tract. 2. q. 10. Sanchez in *Summa lib. 5. cap. 1. q. 2. num. 11.* Pellizzar. tom. 2. *Manual. tract. 1. cap. 1. q. 18. num. 26.* Rodriguez. tom. 1. q. 1. art. 4. Henriquez *lib. 12. Summ. cap. 5. num. 6.* & alii passim.*

17 Unde quamvis omnes religiones, seu ordines conveniant in substantia dictorum votorum, & in fine principali tendendi mediis ipsis votis ad perfectionem; tamen differunt in accidentalibus, & præcipue in duobus, nempe, primo, in fine cujusque religionis proprio, ac particulari, ad quem quævis Religio instituta est; & secundo in diversis mediis, & spiritualibus exercitiis, quibus quælibet utitur, tum ad dicta tria vota substantialia exacte observanda, tum ad suum proprium, & particularem finem melius obtinendum. Sanctus Thomas 2. 2. q. 188. art. 1. Suarez tom. 4. de *relig. tract. 9. de varietat. Relig. lib. 1. cap. 1. num. 3.* Miranda tom. 1. q. 6. art. 2. Pirhing *loc. cit. num. 20.* Reiffenstuel *l. c. num. 21.* & alii communiter.

18 Et hinc religio alia est contemplativa, alia activa, & alia mixta. *Contemplativa* est, quæ propter observantiam trium votorum substantialium ex primæva sua institutione principaliter in contemplatione rerum caelestium, & divinarum se exercet; sicque ad vitam contemplativam potissimum ordinatur. *Activa* est, quæ principaliter ex primæva sua institutione ordinatur ad vitam activam, & opera misericordiae, & charitatis erga proximum, sive spiritualia, sive corporalia exercenda. *Mixta* est, quæ utraque includit, scilicet contemplativam, & activam, eo quod ex primæva sua institutione ordinata sit, tam ad contemplationem rerum caelestium, & divinarum, quam ad actionem operum misericordiae, & charitatis erga proximum. Suarez *cit. lib. 1. cap. 5. num. 6.*

19 *Contemplativa* est, quæ propter observantiam trium votorum substantialium ex primæva sua institutione principaliter in contemplatione rerum caelestium, & divinarum se exercet; sicque ad vitam contemplativam potissimum ordinatur. *Activa* est, quæ principaliter ex primæva sua institutione ordinatur ad vitam activam, & opera misericordiae, & charitatis erga proximum, sive spiritualia, sive corporalia exercenda. *Mixta* est, quæ utraque includit, scilicet contemplativam, & activam, eo quod ex primæva sua institutione ordinata sit, tam ad contemplationem rerum caelestium, & divinarum, quam ad actionem operum misericordiae, & charitatis erga proximum. Suarez *cit. lib. 1. cap. 5. num. 6.*

& seq. Pirhing *loc. cit. num. 20.* Reiffenstuel *loc. cit. n. 24.* Miranda *loc. cit. q. 6. art. 2.* & alii communiter.

Insuper religiones, aliae sunt *clericales*, aliae *monachales*, aliae *mendicantes*, & aliae *militares*. *Communitatis*. Religiones clericales sunt, quæ ex primæva sua institutione principaliter ordinantur ad ministeria Clericorum in divino cultu promovendo, & salute animarum procuranda, & tamen sunt Religiones Canoniarum Regularium; S. Thom. 2. 2. quest. 189. art. 8. ad 2. Suarez *cit. lib. 1. cap. 7. num. 6.* Pirhing *loc. cit. num. 21.* Reiffenstuel *loc. num. 25.* & alii passim.

Religiones monachales sunt, quæ ex primæva sua institutione principaliter ordinantur ad vitam contemplativam, & solitariam. S. Thom. *loc. cit.* Suarez *loc. cit.* Pirhing *loc. cit. num. 21.* Reiffenstuel *loc. cit. num. 25.* Barbosa *lib. 1. Jur. ecclesiast. univers. cap. 41. num. 15.* & alii communiter, *argument. cap. Placuit. 1. caus. 16. q. 1.* ubi Monachus idem significare dicitur, quod singularis, ibi: *Monachus enim graece latine singularis dicitur, cap. Si cupis 5. ead. caus. & quest. ibi: Si cupis esse, quod diceris, Monachus, id est, solus, quid facis in urbibus, quæ ubique non sunt colorum habitacula, sed multorum; cap. 8. ead. caus. & quest. ibi: Sedeat itaque solitarius, & taceat, quia mundo mortuus est, Deo autem vivit. Agnoscat nomen suum; Monos enim graece, latine est unus, Achos graece, latine est tristis, inde dicitur Monachus, id est, unus tristis. Sedeat ergo tristis, & officio suo vacet. Officium enim Monachi est plangere; cap. Monachus 4. ead. caus. & quest. ibi: Monachus non docentis, sed plangentis habet officium; Tales Monachi vi primævae suæ institutionis sunt Basiliani, Benedictini, Cistercienses, Carthusiani, Camaldulenses, & hujusmodi.*

Religiones mendicantes sunt, quæ ex primæva sua institutione paupertatem non tantum in particulari, sed etiam in communi observant, nulla penitus bona immobilia possidentes, contentæ iis solis, quæ vel mendicantur humiliter, vel donantur liberaliter, vel honesto acquiruntur labore, & industria; arg. c. Exiit 3. de verb. significat. in 6. & Clementini Exivi 1. de verb. significat. & Glossa in *cap. Cum ex eo unico, de exercitiis. Praelat. in 6. verb. Mendicantes: ubi expresse dicit: Hi dicuntur Mendicantes, quibus vitium tribuit incerta mendicitas, & qui redditis, aut possessionibus ex regula, vel constitutionibus habere non possunt.* Pirhing *loc. cit. num. 21.* Reiffenstuel *loc. cit. num. 27.* Pellizzar. in *Manual. Regul. tract. 1. cap. 3. sect. 1. num. 12.* & alii passim. Tales Religiones de Jure communi approbatæ sunt quatuor, scilicet Religio Prædicatorum, Minorum, Eremitarum S. Augustini, & Carmelitarum; textu expresso in *cap. Religionum diversitatem unico, de Religiosis Dominibus in 6.*

Dicitur autem notanter ex primæva sua institutione, quia ex variis posterioribus concessionibus, ac privilegiis apostolicis, & ex ordinatione Concilii Tridentini sess. 25. de regularibus cap. 3. concessum est omnibus religionibus, tam virorum, quam mulierum, etiam olim vere Mendicantibus (sola Religione Sancti Francisci Minorum de Observantia, & Cappuccinorum excepta) bona immobilia, dominiumque rerum habere in communi, ita ut soli dicti Minores de Observantia & Cappuccini in propria acceptione Juris Antiqui Mendicantes sint, ibi: *Concedit Sancta Synodus omnibus monasteriis, & domibus, tam virorum, quam mulierum, & Mendicantium, exceptis omnibus Fratrum Sancti Francisci Cappuccinorum, & eorum, qui Minorum de Observantia vocantur, etiam quibus, aut ex constitutionibus erat prohibuit, aut ex privilegio apostolico non erat concessum, ut diceps bona immobilia eis possidere liceat.* Idem tamen nomen, & amplissima Mendicantium privilegia adhuc retinet, sique plenissime gaudet Religionem Prædicatorum, Eremitarum S. Augustini, & Carmelitarum, quibus plures aliae religiones ex post à Sede Apostolica fuerunt annumeratae, quæ infra distinde adducentur.

Religiones militares sunt, quæ in primario suæ institutionis fine potissimum ordinantur ad militandum pro

pro defensione Religionis christianæ, & ecclesiæ. Et tales sunt Ordo Teutonicus, Melitensis, & plures alii, apud Barbos. *loc. cit. num. 164.* Sic Pirhing *loc. cit. num. 24.* Reiffenstuel *loc. cit. num. 30.* Suarez *tom. 4. lib. 1. de Relig. cap. 3. num. 4.* & alii communiter. Professi in illis religionibus militaribus, in quibus præsertim votum paupertatis, & obedientiæ, etiam emittunt perfectum, & totale votum castitatis, qualis est Ordo Militaris Sancti Joannis Hierosolymitani, seu Equitum Melitensium, sunt veri, ac proprie dicti Religiosi, cum habeant omnia requisita ad essentiam veræ, & propriæ Religionis, nempe tria vota substantialia, & Pontificis approbationem. *Communis. Vi. de verb. Hierosolymitani Equites, per tot. Professi autem in illis religionibus militaribus, in quibus non emittuntur omnia dicta tria vota substantialia, nempe perpetuæ paupertatis, castitatis, & obedientiæ, quamvis sint, & dici possint Religiosi cum addito militaris; non sunt tamen, nec dici possunt absolute, & simpliciter, proprie, & rigurose religiosi, quia dicta tria vota sunt de essentia religionis propriæ dictæ ex jure divino, ut patet ex dictis supra à num. 8. Sic Rodriguez tom. 1. q. 1. art. 6. Miranda tom. 1. q. 10. art. 4. Reiffenstuel *loc. cit. num. 32.* & alii communiter.*

30 Utillissimum semper fuit, & adhuc est ecclesiæ catholice, quod in ea fuerint, & adhuc sint religiones; *Communis.* Nec indiget probatione, cum teste experientia, & fatentibus pontificis Oraculis, religiosi tum precibus, & exemplis, tum doctrinis, & laboribus, innumera ecclesiæ attulerint bona, & ab ea avertent mala, adeo ut merito Christus ipsæ Sanctæ Theresiæ dixerit: *Va mundo, si Religiosi non essent.* Et omnibus nota est famosissima illa visio, quam habuit Innocentius Papa III. quæ vidit Lateranensem Ecclesiam (quæ tunc erat Sedes Pontificum) convulsis fundamentis, ruinæ propinquam, & jam labentem Seraphici S. P. mei Francisci suppositis humeris sustineri: *Vere, inquit Pontifex, hic est ille, qui opere, ac doctrina Christi sustentabit Ecclesiam. Sic in Breviario Franciscano die 5. Octobr. lectione 6.* Unde in coronatione Papæ tertia collecta, seu oratio canitur de S. P. N. Francisco; canitur enim prima de Spiritu Sancto, ut illuminet, tertia de S. P. N. Francisco, ut sicut reparavit ecclesiam, eamdem sustentet. Ita Kazemberger in *supplem. theologicis, Sporet in prærogativis Ordinis nostri Seraphici num. 10.* & alii.

33 Insuper utilissimum, ac summe expediens est, quod plures, & variæ institutæ fuerint, & vigeant in ecclesiâ catholica religiones; *Communis.* cum Sancto Thoma 2. 2. q. 183. art. 2. & q. 188. art. 1. & seq. & patet experientia, & fatentur etiam pontificia Oracula, inter quæ signanter illud Gregorii XIII. merito prolatum in laudem, & gloriam præclarissimæ Societatis Jesu in const. *incip. Ascendente*: Et ad rem facit illud Psalm. 44. *ibi: Assitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate,* ubi per reginam ecclesiam, per varietatem autem, qua decoratur, varias religiones plures Interpretes intelligunt, teste Reiffenstuel *lib. 3. Decret. tit. 31. num. 58.* Tum quia, cum variæ sint inclinationes, & propensiones hominum, nec sint in omnibus pares vires, & habilitates, ex speciali Dei providentia, plures, ac variæ religiones saluberrime, ac sapientissime fuerunt institutæ, ut si una religio alioquin inclinatio, propensio, viribus, ac habilitati non quadret, alia pro inclinatione, & viribus in promptu haberetur; Nam in cap. Quia diversitatem 5. de concess. præbend. sic expresse dicitur: *Quia diversitatem corporum diversitas sæpe sequitur animorum.* Et juxta illud Poetæ: *Velle suum cuique est, nec voto vivitur uno;* Unde Apostolus 1. ad Corinth. cap. 7. num. 20. sic dicit: *Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat, & ibid. num. 24. subjungit: Unusquisque in quo vocatus est, fratres, in hoc permaneat apud Deum.*

Nimia tamen, & excessiva multitudo, & varietas religionum, tamquam confusionis causativa est evitanda. Unde merito in Concilio Generali Lateranensi sub Innocentio III. sic fuit statutum, ut expresse referatur in cap. Ne nimia 9. de religiosis domibus; *ibi: Ne nimia religionum diversitas gravem in ecclesiâ Dei confusionem inducat, firmiter prohibemus, ne quis de cetero novam religionem inveniat, sed quicumque ad Religionem converti voluerit, unam de approbatis assumat; similiter qui voluerit religiosam domum de novo fundare, regulam, & Institutionem accipiat de approbatis, & concordat omnino cap. Religionum diversitatem nimiam, ne confusionem induceret; Generale Concilium consulta prohibitionem revocavit... repetita constitutione distrius inhihemus, ne aliquis de cetero novum ordinem, aut religionem adveniat, vel habitum novæ religionis assumat.*

Religiones in specie, quamvis plures sint, tamen 35 fere omnes sub quatuor principalioribus regulis, S. Basilii videlicet, S. Augustini, S. Benedicti, & S. P. N. Francisci militat, exceptis aliquibus infra assignandis, quæ in pluribus quatuor præfatis regulis se uniformantes propria statuta, & peculiare consuetudines pro Regulis habent. Barbosa *l. 2. Jur. Eccl. univ. cap. 41. num. 20.* Laym. *l. 4. tr. 5. cap. 2. num. 3.* Pirhing *l. c. num. 25.* Reiffenstuel *l. c. num. 34.* & alii communiter.

Quatuor ordines mendicantium quatuor fluminibus Paradisi sunt comparati ab Eugenio IV. const. inc. Summa Divinæ Bonitatis: *allata in bullario Inclyti Ordinis Prædicatorum. tom. 3. p. 12. & seq.*

ARTICULUS II.

Quoad primam principalem regulam, & militantes sub ipsa.

SUMMARIUM.

- 1 PRIMA principalior regula est Sancti Basilii ab eodem Sancto instituta.
- 2 Olim ab eo tempore, quo in ecclesia pro Monachis, sive religiosi scripto regule ceperunt institui, semper dictæ regule conueverunt approbari, & confirmari ab Episcopis.
- 3 Et talis conuectio duravit usque ad tempus Concilii Lateranensis, in quo approbatio, & confirmatio religionum fuit reservata soli Romano Pontifici.
- 4 Monachi S. Basilii in Provincia Sicilia, Calabria, & Apulia fuerunt reformati, & eorum constitutiones fuerunt approbate ab Eugenio IV.
- 5 Basilianorum religioni, seu Congregationi unitum fuit eremitorium dictum del Tordon, & alia similia, & forma gubernandi illa fuit statuta à Gregorio XIII.
- 6 Monachi omnes S. Basilii ad unam tantum Congregationem fuerunt redacti sub uno Abbate Generali, & forma gubernandi fuit præscripta à Gregorio XIII.
- 7 Monachi Basiliani obtinuerunt licentiam habendi in Hispania duo monasteria pro Reformatis, & recipiendi in eis Novitios; & propriæ constitutiones pro his fuerunt statuta à Clemente VIII.
- 8 Sub Divi Basilii regula militat ferme omnes Monachi Græci, & Orientalis Ecclesiæ.
- 9 Sub hac regula militavit aliquando Congregatio Armenorum; hodie tamen illam Sancti Augustini observat.
- 10 Item sub hac regula militavit quandoque Carmelitanæ.
- 11 Hodie tamen aliam observant, quam una cum Carmelitarum religione approbavit Honorius III.
- 12 Carmelitarum regulam in suo primario rigore sine

- illis moderationibus apostolicis observat religio Carmelitanæ disalceata, quam regulam una cum qualitatibus à S. Theresia additis confirmavit Gregorius XIII.
- 13 Hæc Carmelitanæ familia disalceata separata fuit à reliquo corpore Ordinis cum proprio Generali sibi dato à Clemente VIII.
- 14 Carmelitarum disalceatorum Congregatio in Italia separatur ab Hispanica, & eadem retinet privilegia.

PRIMA igitur principalior regula est S. Basilii ab eodem Sancto instituta anno 369. Nota Anachronismum. Julianus Apostata ultimum diem clausit anno 363. Pontifice Felice II. Imperatore Juliano Apostata, ut refert Barbosa *loc. cit. num. 21.* Vel circa ann. 350. plus, minusve, ut tradit Miranda in *Manali Prælatorum tom. 1. quæst. 4. artic. 1.* Sanctissimus hic Monachorum antiquorum Orientalis Ecclesiæ Patriarcha fuit primus, quæ monasticum statum reformavit, & ea omnia, quæ ab Antonio Magno, Hilarione, Pachomio, & utroque Macario pro instituendis illius temporis Monachis, & Religiosis verbo tenus audierat, & sibi fuerant tradita, literis mandavit, atque quibusdam demptis, aliis vero additis, confecit regulam, quæ fuit approbata, & confirmata ab illius seculi Episcopis, eo modo, quo tunc temporis religionum regulæ conueverunt approbari, & confirmari, de quo quamvis nihil reperitur expressum, sat est, ut id dicere possimus, quod in Concilio Generali 7. (quod est secundum Nicænum) Regule ejusdem fit mentio, tamquam de regula jam per ecclesiam approbata, & confirmata. Sic Miranda *loc. cit.*

- 2 Olim enim ab eo tempore, quo in ecclesia pro Monachis, sive Religiosis scripto regule ceperunt institui, semper dictæ regule conueverunt approbari, & confirmari ab Episcopis, ut tradunt communiter Doctores, & signanter Bellarminus *lib. de Monachis cap. 4.* Miranda *loc. cit. quæst. 3. artic. 6.* Rodriguez *lib. 1. q. Regul. quæst. 1. artic. 1.* Pirhing *lib. 3. Decret. tit. 31. num. 7.* Reiffenstuel *ib. num. 9.* & desumitur clare ex Concilio Calcedonensi cap. 4. relati. in cap. Quidam Monach. 10. causa 18. quæst. 4. ubi expresse habetur, quod nulli erigant monasteria sine auctoritate, & licentia Episcopi, *ibi: Placuit igitur, neminem, aut edificare, aut constituere monasteria, aut oratorii domum sine licentia ipsius civitatis Episcopi.*
- 3 Et talis consuetudo duravit usque ad tempus Concilii Lateranensis, quod fuit celebratum ann. 1216. cujus Concilii fit mentio in cap. Ne nimia 5. de religiosis domibus, in cujus Summario expresse dicitur: *Novam religionem non licet constituere sine auctoritate Romani Pontificis;* Et quod religionum approbatio, & confirmatio fuerit postea reservata soli Romano Pontifici, habetur clarius ex cap. Religionum diversitatem unice. de religiosis domibus in 6. & cap. Quod votum unice. de voto, & voti redemptione item in 6. *ibi: Per professionem expressam, vel tacitam aliquid de religionibus per Sedem Apostolicam approbatis.*
- 4 Monachi S. Basilii in Provincia Sicilia, Calabria, & Apulia, fuerunt reformati, & eorum constitutiones fuerunt approbate, & forma gubernandi, seu regiminis circa Superiorum electiones cum reliquis fuit eis præscripta ab Eugenio IV. const. 26. *incip. Inter cunctas.*
- 5 Basilianorum religioni, seu Congregationi unitum fuit eremitorium dictum del Tordon, & alia similia, & forma gubernandi illa cum religiosis in eis existentibus fuit statuta à Gregorio XIII. const. 46. *incip. Cogit.*
- 6 Monachi omnes S. Basilii ad unam tantum Congregationem fuerunt redacti sub uno Abbate Generali, & forma gubernandi fuit ei præscripta à Gregorio XIII. const. 58. *incip. Benedictus,* & iterum à Clemente VIII. constituit. 14. *incip. Quæ ad restituendos.*

Monachi Basiliani obtinuerunt licentiam habendi 7 in Hispania duo monasteria pro Reformatis, & recipiendi in eis Novitios, & propriæ constitutiones pro his fuerunt statuta à Clemente VIII. const. 103. *incip. Altissimi.*

Sub Divi Basilii regula militat ferme omnes Monachi Græci, & Orientalis Ecclesiæ, & ejusdem regule professores fuerunt inter alios Sanctos, etiam S. Ephræm, S. Chrysostomus, S. Gregorius Nazianzenus, S. Joannes Damascenus, S. Hieronymus, Pachomius, Helychius, Cassianus, Heraclides, & alii quamplures; fuitque hæc Religio primis seculis celebratissima. Miranda *loc. cit. quæst. 4. artic. 1.* Barbosa *loc. cit. à num. 21.* Reiffenstuel *loc. cit. num. 25.* & alii passim.

Sub hac regula militavit aliquando Congregatio 9 Armenorum sic appellata, eo quod ex Armenia in Italiam translata sit, ubi habitum S. Basilii per aliquot annos portavit, ejusque regulam servavit undecim annis Græcis. At progressu temporis, eo quod videretur insolitus apud Latinos ejus vivendi mos, religiosi regulam S. Augustini assumpserunt cum habitu parum dissimili ab habitu religiosorum S. Patris Dominici. Et monasterium principale, ac caput hujus Congregationis Genævæ situm est, diciturque S. Bartholomæi; unde Armeni per Italiam dici solent Bartholomæi. Barbosa *loc. cit. num. 23.* Tamburin. *de Jur. Abbat. tom. 2. disp. 24. quæst. 3. num. 4. & sequentibus,* ubi etiam de monialibus, & equitibus S. Basilii.

Item sub hac regula militavit quandoque Carmelitanæ. Barbosa *loc. cit. num. 24.* Reiffenstuel *loc. cit. num. 36.* & alii. Hodie tamen aliam observant, quam una cum Carmelitarum religione approbavit, & confirmavit Honorius III. anno 1226. const. & *incip. Ut vivendi...* cui constitutioni inserta est regula dicti Ordinis, de cujus initio, quamvis satis clare non constet, patet tamen de ejusdem approbatione, & confirmatione per dict. const. 8. Honorii III.

Carmelitarum regulam in suo primario rigore sine 12 ullis moderationibus apostolicis observat religio Carmelitanæ disalceata, quam regulam una cum qualitatibus à S. Theresia additis confirmavit Greg. XIII. 22. Junii 1580. const. 64. *incip. Pia...* Hæc Carmelitanæ familia disalceata separata fuit à reliquo corpore Ordinis cum proprio Generali sibi dato à Clemente VIII. die 20. Septembr. 1593. const. 25. *incip. Pastoralis officii...* Carmelitarum hujusmodi disalceatorum Congregatio in Italia separatur ab Hispanica, & eadem tenet privilegia, quibus gaudet Hispanica Congregatio; Clemens VIII. die 13. Novembris 1600. constituit. 71. *incip. In Apostolica.*

ARTICULUS III.

Quoad secundam principalem regulam, & militantes sub ipsa.

SUMMARIUM.

- 1 SECUNDA principalior regula est S. Augustini ab eodem Sancto instituta: quot ordines instituit: sub qua quot militavit, & militavit: quando Lateranensium Canonorum institutus ordo: quare sic dicitur, quæ ejus constitutiones, & prærogative, ad num. 10.
 - 11 Usque ad numerum plusquam octogesimum variarum congregationum fit mentio, ad num. 105.
- SECUNDA principalior regula est S. Augustini ab eodem Sancto instituta circa annum Domini 390. existente Summo Pontifice Siricio, & Imperatoribus Occidentis Gratiano, Orientis vero Theodosio. Barbosa *loc. cit. num. 88.* Reiffenstuel *loc. cit. num. 37.* & alii. Gratianus regnavit ab anno 375. ad annum 383.

Quare uti errat Auctor vel errantes sequitur, plures in hoc religionum catalogo occurrunt chronologici errores. Id monuisse sufficiat. ¶ Duo à S. Augustino instituti fuerunt Ordines, scilicet Eremitarum, & Canonicorum Regularium; De anteriori utriusque istorum institutione clare non constat, cum Eremitæ ex una, & Canonici ex alia parte acerime de anterioritate contendat; quorum proinde disputationi negotium relinquatur.

Sub utriusque hujus Ordinis regula plures militarunt, & militant Congregationes, & quidem, ut ex Bordonio refert Reiffenstuel *loc. cit. num. 37*. Congregationes 34. Canonicorum Regularium, & Congregationes 18. Eremitarum, & inter omnes comprehensis etiam Ordinibus militibus 97. refert Tamburin. *de jure Abbat. tom. 2. disp. 24. quæst. 4.* quæ juxta ipsius ordinem hic breviter referemus.

1. *Canonicorum Lateranensium Ordo* institutus fuit in primitiva ecclesia à Christi Discipulis. Benedictus XII. const. 6. *incip. Ad decorem.* Barbosa in *Summa Apost. dec. verb. Canonici Regulares num. 2.* Tamburin. *de jure Abbat. tom. 2. disp. 24. quæst. 4. num. 2.* ubi refert præcisa verba dicti Pontificis Benedicti XII. ibi: *Ad religionem Canonicorum regularium Ordinis S. Augustini à Christi gloriosis Discipulis in primitiva ecclesia sacris institutionibus stabilitam gerentes præcipua caritatis affectum: Et insuper subjungit hoc Eugenii IV. testimonium, ibi: Hujus Sancti Ordinis, & Sancti propositi post Sanctos Apostolos primum in Alexandria ecclesia Marcus Petri discipulus fuit Institutor, & Conditor, ac gloriosus Doctor Augustinus Episcopus divinis regulis, & doctrina decoravit; Et idem testantur Sanctus Antonius in suo Chronico. part. 2. tit. 15. §. 2. ibi: Ordo Canonicus, non tam à B. Augustino institutus, quam renovatus, ab Apostolis in Monte Sion exordium sumpsit; Vincentius Bellocensis in *specul. doctr. lib. 10. cap. 16.* ibi: "Ordo Canonicorum Regularium primum ab Apostolis, postea à P. Augustino Episcopo, & doctore eximio, regulariter institutus reffloruit."*

2. *Ordo Canonicorum Lateranensium* est sic dictus ab ecclesia S. Joannis Laterani in Urbe, in qua à S. Leone Magno Pontifice intra annos 440. & 457. collocatos fuisse refert Cæsar Franciotti Clericus Regularis Sanctæ Mariæ de Luca in *historia sacra Lucensæ edita anno 1613. in ecclesia S. Tugdani statim in prim. sive ut vult Onuphrius Panvinius in volumine proprio de ecclesia Lateranens. lib. 1. cap. 3.* à S. Gelasio Papa S. Augustini discipulo ab anno 555. & deinde duravit ibi eadem familia per anno 800. usque ad Pontificatum Bonifacii VIII. qui, sublati Canonici Regularibus Sancti Augustini, introduxit Canonicos seculares anno 1200. Barbosa in *summa Apost. dec. verb. Canonici Regulares Lateranenses num. 2.* & *libro 1. jur. eccles. Univer. cap. 41. num. 101.* Carol. Tapia in *Authent. Ingressi Cod. de sacrosancta eccles. verb. monasteria cap. 2. num. 3.* Tamburin. *loc. cit. num. 2.* cum aliis ibi citatis: Et hos Canonicos obtinuisse ecclesiam S. Joannis in Laterano habetur expresse in constit. 2. Paschalis II. *incip. Quanto.* & in constit. 1. Anastasii IV. *incip. Potestatem.*

3. Canonici Lateranenses aliquas constitutiones præfixit Sixtus IV. constit. 10. *incip. Cum ad universos.* Et licet amplius non essent in ecclesia, & monasterio in Laterano, sed in unam congregationem essent redacti, statuit tamen, ut nomen retineant, & eisque plurima privilegia concessit. Canonici Lateranenses tenentur portare vestem lineam super habitum. Concil. Senon. in *decret. morum cap. 22.* Isti Canonici, cum sunt Episcopi, uti possunt habitu, quo alii Episcopi, qui seculares erant Presbyteri. Leo X. constit. 34. *incip. Dudum.* Præfati Canonici non sunt cogendi interesse processionibus publicis ultra solitum. S. C. Rit. in *causa Canonicorum regularium Lateran.* 30. Julii 1616. Præcedunt omnes Regulares, & vadunt immediate post Clerum secularem. S. Pius V. constit. 116. *incip. Cum ex Ordinum.*

4. *Sancti Frigidiani canonicorum Lateranensium congregatio* ab anno Domini 556. *incipit*, cujus Auctor fuit Sanctus Frigidianus ex canonicis Lateranensibus à Gelasio primo creatus Lucanæ civitatis Episcopus, ubi dictæ Congregationi dedit initium, & ab ipso congregatio nomen desumpsit, & exinde ab Alexandro II. sub 3. Id. Octobris anni 1068. in suo Brevis *incip. Quoties.* approbata, & recepta sub patrocinio, & tutela Sedis Apostolicæ; Tamburin. *loc. citat. ubi refert Breve per extensum.*

5. *Sancti Jacobi de Spatha Canonicorum regularium Congregatio* *incipit* anno Domini 830. à Ramiro Rege Legionensi. Et fuit probata, & confirmata sub regula S. Augustini ab Alexandro III. qui nomine Clericorum intelligit canonicos, & refert Pennotus *lib. 2. cap. 70.* vocari tales Clericos Canonicos Regulares ab Adriano VI. constit. 1. *incip. Dum intra.* & à Clemente VII. constit. 32. *incip. Ex Apostolicæ.* Radesius in *suis commentariis;* Tamburin. *loc. citat. num. 4.* Pennotus *loc. cit. & alii.*

6. *Sancti Rufi canonicorum regularium Congregatio* *incipit* circa annum Domini 1000. à quatuor Canonicis S. Mariæ Avenionensis, qui apostolicam vivendi formam ducere cupientes se collegerunt in quadam ecclesia civitatis propinqua, & ibi reposerunt reliquias S. Rufi Simonis Ciranei filii, de quo Marc. cap. 13. & ad Romanos cap. 16. & Episcopi Avenionensis; Unde canonici Regulares S. Rufi nuncupari voluerunt, & dictam ecclesiam S. Rufi caput religionis stauerunt; sicut & fuit usque ad annum 1210. donec per hæreticos Albigenes, destructo penitus monasterio, canonici Valentiam in Galliam commigrarent, ibique novam ecclesiam sub S. Rufi titulo rursus erigentes, illam caput religionis stauerunt, & Abbas hujus monasterii, & ecclesiæ, Abbas Generalis totius Congregationis vocatur; Et hæc Congregatio S. Rufi fuit recepta sub tutela Sedis Apostolicæ anno 1115. à Paschali II. in suo Brevis *incip. Religiosis desideris.* quod refert Tamburin. *loc. cit. num. 4.* Renatus Choppinus in *monastico lib. 2. tit. 1. §. 20.* Vide ipsos *loc. cit.* ubi plura habent ad rem.

7. *Portuensium Canonicorum Regularium Congregatio* *incipit* apud Ravennam circa annum Domini 1115. vel 1117. à Petro cive Ravennatensi Sacerdote ex familia de *Honestis*, qui arctioris vite peragendæ desiderio incensus bonis paternis monasterium, & ecclesiam in portu Adriatici sinus edificavit, & S. Mariam de Portu nuncupavit; Unde Congregatio ibi *incipit* canonicorum Portuensium dicta est: Quam Congregationem cum certis constitutionibus approbavit Paschalis II. in quodam suo Brevis diffis Canonici S. Mariæ de Portu directo, & relato à Tamburin. *loc. citat. num. 6.* & sub tutela Sedis Apostolicæ recepit Alexander IV. in Brevis *incip. Commissæ nobis.* relato à dicto Tamburin. *loc. cit.*

8. *Arosiensis Canonicorum Regularium Congregatio* *incipit* sumpsit circa annum Domini 1097. à duobus piis Sacerdotibus Canone, & Heldemaro, qui cum aliquando vitam solitariam, seu eremiticam duxissent, anno prædicto sub institutione canonica, & Regula Sancti Augustini monasterium Sancti Nicolai fundaverunt in Arosia, qui est locus prope oppidum Bapalmæ in Arosia circa fines Regni Galliarum in diocesi Atrebatensi; Unde ab hoc monasterio Arosiæ, Congregatio Arosiensis Canonicorum Regularium nuncupatur. Grusenius in *monast. August. part. 1. cap. 17.* Aubertus Miræus de *Origin. Canon. Regular. cap. 10.* & 46. Tamburin. *loc. citat. num. 7.* Barbosa *loc. citat. numer. 14.*

9. *Mortariensis Canonicorum Regularium Congregatio* *incipit* sumpsit circa annum 1083. ab Adam Clerico Mortariensi, qui in suis prædictis monasterium, & ecclesiam munificentissimam in honorem Sanctæ Crucis edificavit, ac ibi Canonici sub regula Sancti Augustini in Congregatione degere cœperunt. Quæ Congregatio à S. Gregorio VII. recepta fuit sub specialia tutela Sedis Apostolicæ anno 1097. & à Nicolao V. 8.

8. Idus Februarii 1449. unita fuit Congregationi canonicorum Regularium Lateranensium. Tamburin. *loc. cit. num. 8.* Pennotus *lib. 2. cap. 56.* August. Ticiensis in *sua dilucid. part. 1. præfat. 28.*

9. *Marbacensis canonicorum Regularium Congregatio* *incipit* sumpsit circa annum Domini 1090. vel 1094. à quodam viro Manegaldo nomine, qui auxilio, & opibus Viri nobilis Bucardi à Gebelivier primum monasterium caput congregationis in oppido Marbac diocesis Argentinensis in Alsatia fundavit: Unde *Marbacensis Congregatio* nuncupata est; Tamburin. *loc. cit. num. 9.* Franciscus Villimanus in *histor. de Episcopis Argentinensibus in vita Orbis Episcopi 43.* Pennotus *lib. 2. cap. 39.* & 66.

10. *Sancti Quintini Bellocacensis Canonicorum Regularium Congregatio* *incipit* est circa annum Domini 1078. à Beato Ivone Sancti Quintini Præposito, deinde Episcopo Carnotensi ab Urbano II. ordinato, & Sigisberto Gemblacensis in suo *Chronico. sub anno 1078.* Sanctus Antonius in *sua histor. tit. 15. cap. 16.* in *fin.* Tamburin. *loc. cit. num. 10.* & alii.

11. *Sancti Laurentii de Plebe Martyrum, sive de Ulvio canonicorum regularium Congregatio* in Delphinatu initium sumpsit circa annum Domini 1050. à Venerabili Sacerdote Gerardo oppido Ulvio oriundo, qui apud idem oppidum monasterium sub regula Sancti Augustini edificavit; Unde ab ipso tanquam capite dictæ Congregationis nomen desumpsit. Pennotus *lib. 1. cap. 58.* Tamburin. *loc. cit. num. 11.*

12. *Sancti Victorii Parisiensis Canonicorum Regularium Congregatio* *incipit* circa annum 1113. in monasterio Sancti Victoris prope murus Parisiensis ædificato à Ludovico Crasso Galliarum Rege, qui deinde ibi tumulatus fuit anno 1137. Crusenius in *monast. August. part. 2. cap. 19.* Marul. in *Ocean. Relig. lib. 1. pag. 72.* & seq. August. Ticiensis in *dilucid. part. 2. §.* Institutio Canonici Ordinis in civitate Parisiensis. Tamburin. *loc. citat. num. 12.* Barbosa *loc. citat. num. 108.*

13. *Sancti Sepulchri Canonicorum Regularium Hierosolymitana Congregatio* instituta fuit Hierosolymis sub regula Sancti Augustini à pissimo Austrasiarum Principe, & sacri belli Hierosolymitani duce Gothifredo, Urbe è manibus Infidelium erepta; Hæc enim pissimus princeps voti compos factus, Canonicos Regulariter, quos de partibus Occidentalibus secum adduxerat, collocavit in ecclesia Sancti Sepulchri Domini Nostri Jesu Christi, à qua congregatio tota in aliis provinciis sub hoc eodem Instituto propagata nomen desumpsit, & retinuit; Et hæc Congregationem magnis privilegiis, & muneribus auctam sub Sedis Apostolicæ tutela suscepit Cælestinus II. quarto Idus Januar. 1144. in suo Brevis *incip. Si mansuetudo.* relat. per extensum à Tamburin. *loc. citat. num. 13.*

14. *Sanctæ Mariæ ad Renum Canonicorum Regularium Congregatio* aliàs Renana prope Bononiam tertio ab Urbe milliario apud Renum *incipit* circa annum Domini 1136. & nomen desumpsit à monasterio Renano ibidem constructo; Innocentius II. prædicto anno 1136. 6. Kalendas Septembris. constitutionibus Canonicorum Portuensium per Paschalem II. confirmatas Canonici Renani servandas sua auctoritate tradidit, & privilegio Apostolicæ Sedis munivit. Cherubinus Gerarducci in *histor. Bononiens. lib. 2. part. 56.* & 133. Mozzagrundus *lib. 4. fol. 8.* & sequenti Pennotus in *histor. tripartit. lib. 2. capit. 48.* Tamburin. *loc. citat. numer. 14.*

15. *Sancti Jacobi de Cella Volana Canonicorum Regularium Congregatio* *incipit* anno Domini 1000. in monasterio vetustissimo Canonicorum in diocesi Comaclensi. Pennot. *lib. 2. histor. tripart. regul. Canonicorum cap. 54.* Tamburin. *loc. citat. num. 15.*

16. *Sanctæ Crucis Conimbricensis Canonicorum Regularium Congregatio* sic dicta à celebri monasterio Sanctæ Crucis in civitate Conimbricie *incipit* circa annum Domini 1131. à Don Tello Conimbricensis ecclesiæ Archidiacono, qui una cum aliis piis viris ibidem regulam Sancti Augustini professus gloriosum initium

dedit huic Congregationi, quæ confirmata fuit ab Innocentio II. anno 1135. Pennotus *cit. lib. 2. cap. 59.* & seq. Tamburin. *loc. citat. num. 16.* Barbosa in *Summa apost. dec. verb. Canonici regulares Conimbricensis, & lib. 1. juris eccles. univers. cap. 41. num. 12.*

17. *Sanctæ Mariæ de Crescentiaco Canonicorum Regularium Congregatio* *incipit* anno Domini 1149. in agro Midiolanensi circiter ab Urbe milliario in loco, qui vulgo *Crescentiaco* nuncupatur. Ibi enim Dominus Otho de Morbis, Midiolanensis Canonicus Regularis, cum variis sociis sub regula S. Augustini in ecclesia ædificata à quodam nobili, & divite Midiolanensi in honorem B. M. V. huic congregationi initium dedit, quæ potissimum floruit sub Urbano III. ex nobilissima Midiolanensi familia de Cribellis, qui eandem Congregationem pluribus privilegiis oravit, & suis bonis paternis multum ditavit, ut apparet ex diplomate ejusdem Pontificis sub 7. Kalend. Decembr. anno 1186. relat. à Pennot. *cit. lib. 2. cap. 49.* Et tandem unita fuit Congregationi Lateranensi; Tamburin. *loc. citat. num. 17.* Aug. Tici. in *sua diluc. Canon. regul. & chron. Canon. regul. Pennot. loc. cit.*

18. *Vallis Viridis Canonicorum regularium Congregatio* *incipit* ante annum 1200. & nomen desumpsit à monasterio in honorem B. M. V. erecto in loco dicto Vallisviridis in Brabantia prope Bruxellas; Nec satis constat de præciso anno, & Auctore; Silvester Marulus in *Ocean. relig. lib. 1. p. 38.* Pennotus *cit. lib. 2. cap. 66.* Tamburin. *loc. cit. num. 18.*

19. *Sancti Antonii de Vienna Canonicorum Regularium Congregatio* tempore Bonifac. VIII. sub regula Sancti Augustini instituta est circa annum 1297. Observandum tamen est, quod huic Ordini jam antea circa ducentos annos primordia fecerint nobilissimi viri Gasto, & Girinus, seu Girondus ejusdem Gastonis filius, oriundi ex oppido Motta-Vienensis diocesis in Gallia, quod hodie Sancti Antonii dicitur à corpore hujus Sancti edallato ex Urbe Constantinopolitana per Joachimum Castri Albenciani, & Motta Dominum. Supradicti viri cum ex periculosissima infirmitate meritis Sancti Antonii fuissent liberati, pro salutis obtentæ gratiarum actione, se totos Sancti Antonii famulatu devoverunt, suaque omnia et libentissime obtulerunt, quæ (sicut ab eodem Sancto pro visionem acceperant) in alendos pauperes igne sacro, sive gehennali, seu epidemiæ morbo tunc in occiduis partibus crudeliter sævientem contactos insumpserunt; quibus alii pii viri se se adjunxerunt; & in similibus quibus charitatis operibus se exercuerunt sub habitu seculari, & sine titulo ecclesiastico, sed Magistrorum, seu Dominorum regimine per annos ferme ducentos, donec Bonifac. VIII. eisdem hospitalarii (extinctis Magistrorum, seu Dominorum nominibus) Abbatem Generalem præfecit, eosque tam Abbatem, quam alios in Religiosis sub nomine Sancti Antonii, & Canonicos sub regula Sancti Augustini instituit constit. *incip. In dispositione 15. Kalendas Jun. 1297.* in qua illis etiam strictè præcipit signum *Tau*, sive Potentiam deferre, juxta morem solitum ipsorum Hospitaliariorum, quod etiam Sanctus Antonius in visione dederat supradicto Gastoni; Aubertus Miræus de *statu relig. Christi lib. 1. capit. 24.* & de *origin. monast. lib. 1. capit. 30.* Pennot. *cit. lib. 2. cap. 70.* Marulus in *Ocean. relig. lib. 1. part. 53.* Tamburin. *loc. cit. n. 19.* Barbosa *loc. cit. lib. 1. cap. 106.*

20. *Præmonstratensium Canonicorum Regularium Congregatio* sic dicta à loco *Præmonstrato* in diocesi Lugdunensi in Gallia, instituta fuit à Sancto Norberto tunc Archiepiscopo, & postea Magdeburgensi Germaniæ primatè sub regula Sancti Augustini, & Instituto Canonicorum Regularium anno 1120. & deinde confirmata fuit ab Honorio II. constituit. *incip. Honorius Episcopus.* sub dat. Kalend. Mart. 1126. quæ reperitur impressa in statutis Ordinis renovatis de anno 1628. Silvester Marulus in *Ocean. relig. lib. 2. pag. 172.* Barbosa *loc. cit. num. 109.* & in *Summa Apost. dec. verb. Canonici Regulares Præmonstrati-*

tenses. Tambur. loc. cit. num. 20. Paulus Morigia de orig. religion. lib. 1. cap. 57.

29 Scholiarium Canonicorum regularium Congregat. instituta est anno 1200. à quibusdam Scholaribus Bononie studii causa commorantibus prope eandem civitatem. Jacobus de Vitricio Episcopus Tusulanus in histor. Occident. cap. 27. Pennot. citat. lib. 2. cap. 54. Tambur. loc. cit. num. 21.

30 Cruciferorum Canonicorum regularium Congreg. instituta est à viris quinque Religiosis, procurante, ac opem ferente Hugone de Sancto Carolo præclarissimi Ordinis Prædicatorum Cardinali tunc temporis per Germaniam Legato anno 1246. sub Pontifice Innocentio IV. à quo dicta Congregatio sub regula Sancti Augustini confirmata fuit. Monasterium totius Congregationis Caput situm est in oppido Muiz, seu Huyo, in Belgio ad Mosam fluvium in diocesi Leodiensi, ubi Præfectus Congregationis residet. Renatus Choppin in suo monasteriorum lib. 1. tit. 1. §. 6. & tit. 2. §. 9. & lib. 2. tit. 1. §. 21. Miræus in Origin. August. lib. 1. cap. 14. Tambur. loc. cit. num. 22. Barbosa cit. lib. 1. num. 136. Pennot. cit. lib. 2. cap. 74.

31 Windesimensium Canonicorum regularium Congreg. in Belgio sic dicta à pradio Windeshemo, tertio à Daventria Germaniæ inferioris Urbe lapide ad Insulam fluvium sita, collata prope Zvovollam Trajectensis diocesis. Illic enim erectum abest monasterium ejusdem nominis sub invocatione beate Mariæ Virginis à Gerardo Magno, & Joanne Busebrona edificatum anno 1387. Cui monasterio tamquam capiti totius Windesimensis Congregationis in sola Germania inferiori, ac tractu Rhenano brevi temporis spatio centum viginti viros monasteria, & feminarum triginta sese adjunxerunt; Cruesentius in monastio. Augustin. part. 3. cap. 21. Barbosa in Summa verb. Canonici regulares Windesimenses. & cit. lib. 1. num. 149. Pennot. cit. lib. 2. Hist. tripart. cap. 62. Tambur. loc. cit. num. 23.

33 Massimianum Canonicorum regularium Congregat. sic dicta à primo ejus monasterio apud Massiam in diocesi Coloniensi instituta est circa annum Domini 1170. ex Molano lib. 1. de Canonic. cap. 14. deinde an. 1430. unita est Congregationi Windesimensi, ut habetur ex Chron. Windesimensi cap. 4. Pennot. cit. lib. 2. cap. 76. Tambur. loc. cit. num. 24.

34 Sancti Demetrii, sive Sanctæ Mariæ de Metri Canonicorum regularium Congregatio, sive de Penitentia Martyrum, instituta est in quibusdam Germaniæ, & Poloniæ partibus circa annum 1200. temporibus Innocentii III. Hæc Congregatio pene desierat, illam tamen Pauli V. Pontificatu renovatam, ac de novo approbatam sub regula Sancti Augustini tradit Nicolaus Crusenius in monastio. Augustin. part. 3. cap. 1. Tambur. loc. cit. num. 25.

35 Sancti Spiritus Venetarum Canonicorum regularium Congreg. sic dicta à monasterio Sancti Spiritus, in quo de gere cepit, instituta est circa annum Domini 1424. à quatuor Clericis, nobilibus Venetis, scilicet D. Andrea Bondimerio, D. Michaelè Mauroceno, D. Philippo Paruta, & D. Francisco Contareno, Pennot. cit. lib. 2. cap. 74. & 74. Tambur. loc. cit. num. 26.

36 Frigionaria Canonicorum regularium Congregatio sic dicta à monasterio Sanctæ Mariæ in Sylva Frigionaria non longe à civitate Lucensi sic nuncupata à multitudine Frigionum illic se recipientium (sunt Frigiones aves quædam in Italia,) instituta est sub regula Sancti Augustini circa annum Domini 1496. à D. Bartholomæo ex nobilissima Columnenensi familia. Hæc Congregatio ab Eugenio IV. jussa est à Frigionaria dici Lateranensis, cum Lateranensium Canonicorum fuerit reformatrix. Barbosa in Summa apostolicar. decis. verb. Canonici Regulares Frigionariæ. Paulus Morigia in Origin. relig. lib. 1. cap. 8. Pennotus in histor. tripartit. lib. 3. cap. 8. Tambur. loc. cit. n. 27. Marulus in Ocean. Relig. lib. 1. part. 7. & sequentibus.

37 Sancti Petri de Monte Corbulo Canonicorum regularium Congregatio, sic dicta à primo ejus monasterio sub patrocinio Sancti Petri in monte Corbulo in agro Flo-

rentino, duodecim à Senis lapide edificato, instituta est à quodam Petro Regliensi, seu Mediolanensi circa annum 1503. sub Pontificatu Julii II. à quo fuit confirmata. Volaterranus lib. 21. Trullus de Canon. regularibus lib. 10. cap. 10. Pennotus lib. 2. cap. 54. Barbosa lib. cit. verb. Canonici regulares de monte Corbulo. Tambur. loc. cit. num. 28.

38 Sancti Salvatoris Canonicorum regularium Congreg. sic dicta à primo monasterio, quod habuit in Sylva Lacus non longe à Senis, instituta est à Venerabili P. Stephano Clonni Senensi, primus Ordinis Eremitarum Sancti Augustini, Coadjutore Jacobo Andrea Senensi ejusdem item Instituti circa annum 1408. Isti Canonici vulgo appellantur Scopetini à monasterio, quod initio Institutionis habuerunt prope muros Florentiæ sub nomine Sancti Donati Episcopi Fesulani; Aldan. in compendio canon. resolut. lib. 1. tit. 19. de relig. numer. 35. Barbosa. loc. cit. verb. Canonici regul. S. Salvatoris. Tambur. loc. cit. num. 36. Morigia in Origin. relig. lib. 1. c. 40. Marulus in Ocean. relig. lib. 4. p. 322.

39 Sancti Georgii de Alga Canonicorum Congregat. sic dicta ab Alga, sive Aiega parva Insula distante duobus milliariibus à Venetiis, ubi situm est primum hujus familiæ monasterium, instituta est à D. Antonio Cortario Episcopo Hostiensis, & Cardinali Bononiensi, ut patet ex inscriptione facta in ejus sepulchro in ecclesia majori Alege, ibi: Sepulchrum piissimi Patris D. Antonii Cortarii beate memor. Episcopi Hostiensis, Cardinalis Bononiensis, fundatoris hujus Congreg. qui obiit anno à Nativitate Domini 1445. die 19. Januar. orate pro eo semper. Sic refert. Tambur. loc. citat. num. 32. qui tamen dicit, quod Auctores hujus Congregationis inceptæ circa annum Domini 1404. fuerunt Antonius Cortarius, & Gabriel Condulmerius, nobiles Venetici Barbosa autem loc. cit. verb. Canonici Sancti Georgii de Alga, dicit, quod hæc congregatio instituta fuit à D. Antonio Cortario Bononiensi, & Episcopo Hostiensis anno 1404. & videtur concordare cum supra allata inscriptione sepulchri. Hanc Congregationem approbavit, statuta, vivendique formam ei præscripsit Greg. XII. constitut. 1. incipient. Illis 5. Rel. Jul. 1406. Vide Pennot. cit. lib. 2. cap. 70. Marulus in Ocean. Relig. lib. 5. pag. 341. Paul. Morigiam de Orig. Relig. lib. 1. cap. 44.

40 Sancti Marci Mantuanorum Congregat. circa annum Domini 1194. originem sumpsit à quodam Venerabili Sacerdote Alberto Spinula, seu aliis de Formigola, qui habita potestate à Sede Apostolica erigendi collegium Canonicorum Regularium secundum Ordinem Divi Marci, locum pro monasterio edificando habuit ab Abbate Sancti Andree, & simul ab aliis Mantuanis civibus prædia, & redditus pro canonicis sustentandis obtinuit, atque ita suæ congregationi fundamenta posuit. Et fuit approbata, & confirmata ab Innocentio III. & Gregorio IX. constit. Pie postulatio voluntatis, Sic refert Tambur. loc. cit. n. 33. At Barbosa loc. cit. verb. Canonici Regulares Mantuani, & cit. lib. 1. Jur. eccles. univers. cap. 41. num. 110. dicit, quod hic Ordo refertur institutus à S. Marco, sed monasterium Mantuanum fundavit ejus urbis Episcopus Henricus anno 1150. Pontifice Eugenio II. Desiit autem hæc congregatio, & eorum monasterium Sancti Marci à Guilhelmo Mantuæ Duce concessum fuit Monachis Camaldulensibus, obtenta prius à Sede Apostolica facultate, ut refert Tambur. loc. citat.

41 Cruciferorum Sancti Cleli Canonicorum Regularium Congreg. fertur instituta à Beato Cleto Lini Successore, vel à Ciriaco Episcopo tempore Constantini Magni. Hæc Congregatio fuit reformata ab Alexandro III. ut fatetur Gregorius XIV. Constit. 13. incip. Romanus... Ceterum approbata fuit ab Urbano VIII. constit. incip. Cum antecessor... quam refert Tambur. loc. cit. n. 34. & vivere sub regula S. Aug. tradit Pennot. in histor. tripart. canon. Regul. lib. 2. cap. 74.

42 Sancti Spiritus in Saxia Canonicorum Congregatio sic dicta, vel quia collegium sub tutela, & patrocinio Sancti Spiritus constructum est sub saxo, seu castro Neronia, vel quia Saxones Germaniæ populi ibi olim habitant,

runt, instituta ab Innocentio III. anno 1198. Huic enim Pontifici oranti facta est vox de celo dicens: Innocenti, exibe precium ad Tiberim fluvium. Re cum S. R. E. Cardinibus communicata ad Tiberim se contulit, & laxatis retibus, prima vice octuaginta septem, secunda vero trecentos & quadraginta extraxit infantes abortivos ad impis matribus suffocatos, & in Tiberim projectos. Non defuit piissimo Pontifici remedium divinitus revelatum; congregatis enim quamplurimis piis hominibus, eos ad curam hospitalis Sancti Spiritus, quod Roma circa annum 1201. construxit, præfecit. Eorum cura est peregrinis, & infirmis suscipere, & curare, ac pueros, & infantes alere; confirmata fuit hæc Congreg. ab ipso Innocentio const. 7. incip. Inter opera pietatis, 13. Calend. Jul. 1204. Subiunt hi Religiosi Jurisdictioni, & correctioni Præceptoris Generalis; qui modo à Summo Pontifice eligitur, & Commendator Sancti Spiritus nuncupatur.

43 Eremitar. S. August. Ordo à quonam tempore incepti Variant Historici; Quidam enim dicunt, inceptisse tempore Divi Augustini, quos fuisse rejicit Pennotus in histor. tripartit. Canon. Reg. lib. 1. fere pro totum. Alii in D. Guillelmo Aquitania Ducem, & Picavienis Comitem originem referunt; alii in Beatum Joannem Bonum Mantuanum; alii alio modo. Unde decisionem relinquendo proprii Ordinis Scriporibus, quasdam Congregationes Eremitarum S. Augustini referemus.

44 Sancti Guillelmi Eremitarum Congreg. sic dicta à Sancto Guillelmo Aquitania Duce, & Picavienis Comite, ejus fundatore; incepti circa annum 1156. Hanc Congregationem fuisse institutam sub regula Sancti Benedicti scribunt varii historici, ut videre est apud Tambur. loc. cit. num. 37. Jo. Marquez de vera origine Eremitarum Sancti Augustini cap. 13. §. 11. Barbosa lib. 1. Jur. eccles. univers. cap. 41. num. 64. qui tamen ibidem dicit, verius esse, fuisse institutam sub regula Sancti Augustini, ut tenet Navelerus volum. 2. gen. 40. & 41. Bellarm. in ebronol. in fine lib. de scriptoribus eccles. sub ann. 1241. & alii passim dicentes, talem congregationem vocari communiter Guillelmitarum Ordinis Sancti Augustini.

45 Antonianorum Eremitarum Congreg. sic dicta, quia incepta à B. Joanne Bono Mantuano aqūd Cesenam in loco, qui dicitur Badriolum, paulo ante Innocentio III. S. Antonin. 3. part. tit. 24. cap. 13. Vide Pennot. citat. lib. 2. cap. 47. & 74. Tambur. loc. cit. num. 38.

46 Sancti Hieronymi in Hispania Eremitarum Congreg. instituta fuit, seu reformata sub regula S. Augustini, & Patrocini S. Hieronymi à D. Petro Fernandez, nobili Castellano, anno 1370. tempore Urbani V. Licet alii alium hujus Ordinis faciant Auctorem, ut refert Barbosa, lib. 1. Jur. eccles. univers. cap. 41. num. 144. Prædictus igitur Religiosus vir una cum variis sociis eremiticam, & satis asperam vitam ducens cum eisdem, decrevit eremitarum S. Hieronymi titulum assumere. Unde iisdem sociis in unum collectis ad Ulpianæ locum Tolentane diocesis, in quo sacellum S. Bartholomæo Apostolo dicatum invenerat, sub sancto Instituto, & ordinis fundamenta fecerunt; ejusque approbationem, & confirmationem sub regula S. Augustini à Gregorio XI. obtinuerunt anno 1373. ut refert Silvester Marulus in Ocean. Relig. lib. 3. pag. 202. Hinc prædictum S. Bartholomæi monasterium est constitutum caput hujus congregationis, quæ in Hispaniis plurima satis pulchra habet monasteria, & præcipue celeberrimum illud Sancti Laurentii in Escoriali, à Philippo II. Hispaniarum Rege magnificentissime extractum. Barbosa loc. citat. num. 144. Tambur. loc. citat. num. 39. & plures alii apud ipsos.

47 Beati Petri de Pisis Eremitarum Congregatio instituta fuit à nobili viro Pisano Petro Cambactura sub regula S. Augustini, & patrocinio S. Hieronymi anno Domini 1380. primum hujus congregationis monasterium, caputque Ordinis extractum est in honorem Sanctissime Trinitatis apud Cessanam in territorio Urbini, qui ob aeris amentiam, & situs pulchritudinem Mons-

bellus appellatur Tambur. loc. cit. n. 40. Barbosa loc. cit. n. 148. Paulus Morigia de orig. relig. lib. 1. c. 31. & alii.

48 Illicitana Eremitarum S. Augustini de Observantia Congreg. sic dicta à monasterio de Sylva lacus, Illiceto à multitudine Illicum nuncupato, initium habuit à Magistro Bartholomæo Veneto anno Domini 1385. Tambur. loc. cit. num. 42. Morigia loc. cit. cap. 49. Barbosa loc. cit. num. 94.

49 Carbonaria S. Augustini Eremitarum Congreg. in terra laboris regni Neapolitanæ, vulgo Campagna, modo S. Jo. de Neapoli nuncupata; originem habuit à Patre Simeone Cremonensi anno Domini 1399. Tambur. loc. cit. n. 43. Barbosa loc. cit. num. 94.

50 Perustina Eremitarum Sancti Augustini Congregat. alia Sanctæ Mariæ de Populo nuncupata, in provincia Umbriae per aliquot Religiosos Augustinianos incepta anno 1424. Tambur. loc. citat. num. 44. Barbosa loc. citat. num. 94.

51 Lombardica Eremitarum S. Augustini Congregat. ortum habuit anno 1444. à Petro Joanne Rocco Papiensi, & à Patre Gregorio Cremonensi. Tambur. loc. citat. n. 45. & Barbosa loc. citat. num. 94.

52 Sanctæ Mariæ Montis Hortone Eremitarum S. Augustini Congregat. quinto ab urbe Patavii milliario initium habuit à Patre Simone de Camerino anno 1460. ut scribit Tambur. loc. cit. num. 46. At Barbosa loc. c. n. 94. vocat hanc Congregationem Montis Othonii, & dicitque fuisse institutam in Marchia Anconitana à d. Patre Simone de Camerino dicto anno 1460.

53 Bapstianorum Eremitarum S. Augustini Congregat. seu Januensis, sic nuncupata à quodam Patre Baptistâ Januensi ejus fundatore; incepta anno Domini 1484. Tambur. loc. cit. n. 47. Barbosa loc. cit. n. 94.

54 Pollentis, seu Duleira Eremitarum S. Augustini Congreg. incepta circa ann. 1492. & est sic dicta, quia eam instituit P. Felix Pulles; Barbosa loc. cit. num. 94. Tambur. loc. cit. num. 48.

55 Calabria, seu Zampana Eremitarum S. Augustini Congreg. sic dicta, quia fundata fuit à quodam P. Francisco Zampana Calabrensi, incepta anno Domini 1502. Tambur. loc. cit. num. 49. Barbosa loc. cit. num. 94. Paul. Morigia de histor. Relig. cap. 49. Dalmata Eremitarum Sancti Augustini Congregat. incepta dicto anno 1502. in Dalmatia in Slavonia. Barbosa loc. citat. num. 94. Tambur. n. 50. Morigia loc. cit.

56 Germanica Eremitarum Sancti Augustini Congregat. incepta dicto anno 1502. in Dalmatia in Slavonia. Barbosa loc. cit. num. 94. Tambur. num. 50. Morigia loc. citat.

57 Germanica Eremitarum S. Augustini Congreg. instituta fuit in Germania à quodam P. Andrea de Proles anno 1514. Tambur. loc. citat. num. 51. Paulus Morigia loc. cit. num. 49.

58 Sancti Pauli primi eremite Congregat. S. Augustini Hispanica incepta in Hispania anno Domini 1530. & ibi quam plura habet monasteria, & in Italia prope Vellestrem civitatem habet monasterium satis illustre. Tambur. loc. cit. num. 52. Morigia loc. citat. cap. 49. Sed jam fuerat erecta alia S. Pauli primi eremite in regno Hungariæ à B. Busebio Strigoniensi anno 1515. Pontifice Innocentio III. confirmationem præstante, Prætre Gentili Cardinali ex ordine S. Francisci Legato Clementis V. in Hungaria anno 1308. Barbosa loc. cit. num. 126.

59 Congregationes Eremitarum S. Augustini, quæ in generali unione per Alexandrum IV. facta per constitutionem 6. incip. Licet Ecclesie, sub eadem denominatione Eremitarum S. Augustini venerunt, ut eas refert Sylvester Marulus in Ocean. religionum lib. 4. pagin. 284. & Tambur. loc. cit. n. 53. sunt sequentes.

Congreg. Eremitarum Vallis Hirsuti.

Congreg. Eremitarum de Penitentia Jesu Christi.

Congreg. Eremitarum S. Augustini Turris Palmaram Firmans Diocesis.

Congreg. Eremitarum S. Joannis Boni.

Congreg. Eremitarum S. Augustini in loco S. Blarri de Britivis Fanensis Alvetis.